



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 2. Modus ferendi sententiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

tunc censetur pars illius. 4. nisi appella-um sit à iudice, quicam tulit, & appellationem ad hunc: quia sic abdicat à se iurisdictionem. Denique nisi superio: iudex prohibuerit.

*Tertio* differt, quia Definitiva scripto ferri debet: interlocutoria non item.

*Quarto*. Definitiva præter ordinem iuris lata invalida censetur, secus de interlocutoria existimandam, quæ ordinem iuris non attendit.

*Quinto*. Definitiva irrita est, si ad verba pars non fuerit citata, quod in interlocutoriâ minimè requiritur.

*Sexto*. Addunt aliqui Definitivam à stante pronuntiandam esse, quod necessarium non est in interlocutoria.

*Septimo*. A definitivâ semper appellari potest, ab interlocutoria, vel nunquam appellatio fit, vel rarissimè.

*Octavo*. Denique definitiva non nisi causâ cognitâ proferatur: interlocutoria verò etiam extra causâ cognitionem. *l. Quid ergo, §. 4. ff. de his qui notantur infam. Maran. pag. 231. & sequi. Azo insum. l. 7. Rubr. 43. & esenbec. in ff. l. 42. tit. 1. Lamel. l. 3. Inst. tit. 15. Canon. l. 4. tit. 14.*

V. Non desunt, qui secuti *Speculatorem in Rubr. de sent.* plures sententiæ species numerent. Nam præter modo explicatus, aliam dicunt esse sententiâ præcepti, aliam decreti, aliam multæ, aliam banni &c: Verum, si accuratè inspicias, intelliges ad Definitivam,

& interlocutoriam omnes revocari posse, quemadmodum Marantia fute ostendit.

Vt alia omitram, Decretum strictè acceptum nihil aliud est, quàm sententia interlocutoria quæ iudex decernit, aliquem v. gr. mittendum esse in possessionem, alimenta pupillo subministranda, minorem in integrum restituendum esse, & simil. Si tamen ad sententiam interlocutoriam pertinent etiam comminationes, epistolæ, & subscriptiones iudicum, ut *Tholos. vult l. 50. c. 1. ampliandum erit Interlocutoria nomen, & à propriâ significatione liberandum.*

§. 2.

*Modus ferendi sententiam definitivam.*

I. **A** Vditis litigantium rationibus, & iustitiæ libra accuratè pensatis, totoque iudicii ordine completo, partibus peremptoriè citatis, sententia proferenda est ex scripto, in loco publico, & consueto, ipso die, & hora, ad quam citatio facta est. Iudex, & non alius sententiam pronunciare debet, nisi consuetudo aliud velit, vel persona illustris sit, cui propter nobilitatis prærogativam per alium id facere permittitur. Illustribus personis episcopus accensetur, cui propterea eadem prærogativa datur *in c. fin. de sen. & re iud. in. 6.* ubi additur, si sententiâ stando, & nõ sedendo proferatur, nullius esse momenti: intellige, modò non habeat impediri.



pedimentum sedendi. Tunc enim nihilominus validè prolata censetur. *v. Barb. in c. cit. Em Sa. v. de sent. n. 2. Cardin. Tusch. Concl. 133. Treutler. Disp. 23. n. 3. Vogel. in Meth. l. 2. c. 17.*

II. Ut sententia legitima sit, continere debet *Primo* nomen ipsius iudicis. *Secundo* qualitatem, an sit ordinarius, vel delegatus. *Tertio* nomina litigantium. *Quarto* tenorem primæ petitionis, super qua iudicium fundatum est. *Quinto* mentionem de substantialibus iudicii, puta, *Visa litis contestatione, iuramento calumnia, testium depositione, & similibus. Sexto*, absolutionem, vel condemnationem. *Septimo*, quod feratur partibus presentibus, vel per contumaciam absentibus. *Octavo* ex scripto recitanda est. *Nono*, Iudex sedendo legere debet, eo modo, quo *n. prac. diximus. Maranta pag. 237. Cuchus l. 3. In sit. pag. 330. Vallens. l. 2. tit. 27. Sanchez. l. 6. Consilior. c. 3. Dub. 9. Card. Tuschus Concl. 133. Armilla. V. Sententia. num. 4.*

III. An verò causa condemnationis, vel absolutionis inferenda sententia sit, controvertitur. In praxi certum est non fieri, nec expedire censent periti. *c. Sicut nobis de sent. excom. & ibi Panorm.* Non expressa enim præsumitur vera & sufficiens: expressa non ratio in dubium vocaretur, ab illis potissimum, quorum voto, & expectationi contradicit. *Felinus in c. Quoad consultationem. dereiud. Wesenb. l. 42. ff. tit. 1. ubi addit, licet inferi causam sententia non sit necessarium iuxta c. sicut nobis. citatum, si tamen falsa, ineptave*

expressa sit, sententiæ vitium adferre. *Innoc. in c. In presentia. de renunc.* In quibus autem casibus causa exprimenda sit, vide apud *Panorm. lo. cit.*

IV. Valida est sententia non concepta, & prolata scripto in his septem casibus. *Primo*, quando causa breves sunt, maxime vilium personarum. Breves autem censentur duorum aut reorum. *ff. de dolo. l. Adest.* præterea iudicis arbitrio relinquitur. *Secundo*, quando episcopus inter clericos suos iudicat de causa civili. *c. si quis. 10. q. 1.* *Tertio* cum præles deposito officio suo convenitur de administratione. *Auth. ut iudices sive quoque suffragant. Quarto.* Cum summus Pontifex per se pronunciat. Neque enim huiusmodi legibus astrictus est. *l. Digna vox. C. de leg. quemadmodum nec Imperator. Schneidewin. ff. l. 2. tit. 26.* *Quinto*, si lata sit in causa matrimoniali, ut aliqui volunt. *Sexto*, quando patrium consensus adest. *Septimo* denique in omnibus causis, in quibus summarie proceditur. *Clem. sape. de verb. sign. ubi etiam iudex permittitur, ut in summaris iudiciis stans vel sedens, prout ei magis placuerit, sententiam definitivam pronunciet. Tuschus Concl. 133. Sanchez. lo. cit. Zenger. Tract. de exceptionib. Par. 1. c. 2. num. 17.*

V. Prolata semel sententia definitiva, quoad illius causam extincta censetur potestas iudicis tam ordinarii quam delegati, ita, ut nihil mutare, corrigere, addere, vel demere



queat. *l. Iudex. ff. de re iudica. l. Quod iussit. eod. l. Paulus cod. Panor. in c. Sententia h. t. num. 26. Azol. 7. num. 44. Specul. Par. 3. n. 10. VVejenbec. l. 42. ff. tit. 2. n. 9.*

*Limita* in Ordinario Iudice, cui mutatio, & correctio permittitur in quinque casibus. *Primo*, quoad multam, quæ minui vel remitti potest. *Secundo*, quoad fructus, & expensas, aliave accessoria, in quibus eodem die suppleri potest. *Tertio*, si quis absens veniat, adhuc Iudice sedente pro tribunali. *l. Divus. ff. de rest. in integ. Quarto*, si publica utilitas exigat. *l. Quod semel. ff. de decretis ab ordine faciend. Quinto*, ubicunque veritur periculum animæ, & de errore sit fides. *c. Inter ceteras. h. t. c. sententia eod. ubi de sententiæ nullitate propter errorem contra leges, canones, aut consuetudinem multa à Barb. colliguntur. Armilla. V. sententia n. 3. Franc. Marcus Par. 1. q. 547.*

Adde, si in condemnatione Iudex omiserit condemnationem ad expensas, eodem die, & amplius non, supplere poterit. *l. 3. C. de fruct. & litium expens. Item, quod à Gaill. annotatur l. 2. obs. 1. n. 6. quamvis sententiam latam Iudex nequeat mutare, aut revocare, permitti tamen illi declarationem, & interpretationem, quia Iudex declarando sententiam nihil novi pronunciat. l. ab executione ff. de appell. Bartol. ibid. Idem Gaill. l. 1. obs. 116. num. 8. scribit, contra usum aliorum tribunalium in Camera Spirensi non solere admitti petitionem de sententiæ de-*

claratione, ne lites prorogentur, cum præsertim exactis peti queat declaratio. *V. Schu. idev. l. 4. Inst. tit. 6. & Curare Lancel. l. 3. tit. 15. Oldradus Consil. 66. Socin. Conf. 134. Cardin. Tuschus Concluf. 126. qui multa de modo interpretandi & declarandi sententiam colligit.*

*VI.* Quando unius causæ plures Iudices sunt, omnes sententiam proferent: idque coram, nec valebit sententia reliquorum uno absente. *l. Diem proferre. 27. §. 4. ff. de arb. si vero ad sit, & contra alios sentiat, vel etiam iuret, sibi non liquere, standum erit reliquorum iudicio. Si omnes præsentem in diversas summas condemnent, eligenda est minima, nisi plures in maiorem summam conveniant. Reg. In obscuris. de Reg. lu. in 6. si unus ex duobus condemnet, alter absoluat, huius sententia in favorem rei prævalebit. c. fin. de Sent. & re iudic. Reg. In pœnis. de Reg. iur. in 6. ubi Dynus, Peckus, & alii Comment.*

*Limita.* *Primo*, nisi aëtoris causa favorabilior sit, puta libertatis, dotis, matrimonii, testamenti, & similibus. *di. c. fin. l. si pars. 10. ff. de in off. testam. V. Dynus, & Peckus in cit. Reg. in pœnis.*

*Secundo*, nisi sententia absolutoria manifestè iniqua sit, *Oldendorp. Tract. de sent. & re iudic. Lancel. l. 3. tit. 15.*

Et hæc in Iudiciis ordinariis locum habent, qui suo nomine iurisdictionem exercent, non verò in delegatis. Etenim si duo Iudices delegati



gati diversas sententias habeant, utraque suspendetur, donec arbitrio delegantis decisio fiat. *Abb. inc. fin. eod. v. firro.*

Quod si ex compromisso arbitri duo electi non consentiant neutrius sententia valebit. *l. Diem 27. §. 1. ff. de recept. arb.*

Si plures duobus fuerint, maioris partis sententia sine hesitatione præferetur. *Angel. in Apost. ad Bartol. l. Exactores. C. de suscept. & arcar. l. 10. Corset. Singul. Universitas. & in addit. ad Abb. c. 3. num. 10. de novi op. num. Intellige dommodò omnes sint præsentis, & requisiti. l. fin. res. ff. de arb. Dec. in Reg. Qui potest. de Reg. Jur. Excipe, nisi aliter in compromisso statutum, aut conventum sit. *Tuschus Concl. 464.**

§. 3.

De effectu Sententia Definitiva.

I. **R**ob. Maranta *Par. 6. de ord. iudiciorum pag. 244.* cum explicasset, quomodo sententia in rem iudicatum transeat, per non factam scilicet, aut desertam appellationem, subdit, tantæ auctoritatis esse sententiam, ut faciat de non ente ens, & de falso verum, & de albo nigrum secundum *l. son. in l. Iulianus. ff. de condit. indeb.* Quod intelligi debet de sententia, cuius iniustitia non est manifesta, vel notoria. Tunc enim, quia non constat de iniquitate, præsumitur pro Iudice, quod officio suo functus sit, & servato

iuris ordine pronunciarit. *Tuschus Concl. 141.*

Eodem sensu dicitur, Iustus iudicis facit aliquid licitum, quod aliàs esset illicitum. *l. Quoniam iudices. C. de appell. l. non est matrim. ff. de ritu nupt. & c. Quod quis. de Reg. Jur. in 6.* ubi à dolo excusatur, qui mandato Iudicis operatur, quia habet parere necesse, nimirum in dubio propter Iudicis sententiæ, & præcepti auctoritatem, pro quorum iustitia est indubio præsumendum. *ff. ad Trebellian. l. Servo invito. §. Cum prator v. Dymum in Reg. cit. & Pecuniam. Treutler. Disp. 23. num. 5. Carum vel. Theol. fundam. num. 688. & sequ.*

Igitur hunc effectum seu prærogativam sententiæ Ius tribuit, ut pro vera, & valida habeatur, quamdiu contrarium evidenter non constat, quicquid à parte rei sit. Atque inde ius à partibus acquisitum est, nulla videlicet appellatione interposita, vel desertata. *c. Inter monast. 20. h. t. l. Res iudicata pro veritate habetur. ff. de Reg. Jur. aded, ut nec rescriptum principis valeat contra sententiam, quæ transivit in rem iudicatum. l. fin. C. sent. rescri. non posse. l. causas, vel lites. C. de transact. c. Exposita de arb.*

Excipe, nisi præcisè constaret de mente principis, quod velit derogare rei iudicatæ, quia potest, cum illud sit ius quæsitum de iure civili. *Tuschus l. cit. n. 65 Decius in Reg. cit. Arn. Corvinus in Aphorism. l. 3. tit. 34. Sylv. V. Sententia n. 10. Gaill. l. 2. Observ. 70.*

II. Præterea, quod assine est præcedenti,

